



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Recollectio Spiritvalis**

**Masen, Jacob**

**Coloniae Agrippinae, 1691**

De Examine Generali.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60213)

*Tabula vitiorum extir-  
pandorum hebdoma-  
daria.*



*Tabula virtutum exer-  
cendarum hebdo-  
madaria.*

D \_\_\_\_\_

D \_\_\_\_\_

L \_\_\_\_\_

Ut Sciat,

L \_\_\_\_\_

M \_\_\_\_\_ repro-

bare

} & { elige-

M \_\_\_\_\_

M \_\_\_\_\_ malū.

} & { re

M \_\_\_\_\_

I \_\_\_\_\_

Isaia 7.

I \_\_\_\_\_

V \_\_\_\_\_

V \_\_\_\_\_

S \_\_\_\_\_

S \_\_\_\_\_

Hanc alteram adjeci Tabulam, quod vi-  
tia nonnunquam rectè per contrarios virtu-  
tum actus extirpentur. Præsertim si lapsus hac  
ratione errorem suum, opposito saltem vir-  
tutis desiderio, & interno mentis actu, com-  
pensare conetur. Serviet etiam hæc altera ta-  
bula in via Illuminativa & Unitiva ad perfe-  
ctionem aspiranti.

*Vitia vir-  
tute com-  
pensanda.*

DE EXAMINE GENERALI.

**Q**uinq̄ue punctis D.IGNATIUS Exa-  
men hoc distinguit.

I. Gratias vult referri Deo pro acceptis  
beneficiis, tam universè quàm eo die singula-  
tim

*Examen ge-  
nerale quinq̄ue  
punctis*

46 DE EXAMINE GENERALI.

*absolvitur.*  
1. *Gratiarū*  
*actione.*

tim. In quibus tum excellentia & gratuita bonitas donantis, tum nostra indignitas atque ingratitude spectari possunt. Cūque impares gratiis habendis reperiamur, omnes Sancti & Angeli Dei, creaturæque universæ ad illas persolvendas invitari possunt.

2. *Petitione.*

II. Gratia à Deo obnoxie petenda est, quæ ad peccatorum nostrorum cognitionem & abolitionem memoria juvetur, intellectus illustretur, & voluntas inflammetur.

3. *Examine*  
*delictorum.*

III. Examen de admissis eo die peccatis instituetur, singulas horas vestigando, & quid cogitatione, verbo, opere, atque omissione peccatum fuerit, explorando, ac pro Confessione etiam futura, si opus fuerit, notando. Ita enim hæc expeditior, certiorque futura est, atque ex culpabili ignorantia nihil omitte-

4. *Dolore.*

IV. Venia pro delictis roganda, & dolor, quantum poterit, ex amore Dei sumè boni concitandus: ita ut si neque infernus, neque cœlum esset, nihilominus, detesteris universa peccata, quia immensæ bonitati Dei adversentur, ac displiceant, ex quo, per quem, & in quo sunt omnia.

5. *Proposito*  
*emendatio-*  
*nis.*

V. Propositum emendationis serium esse debet; quale est, quod non tantum peccatum, sed ejus etiam occasiones vitare statuit: Nam qui amat periculum, peribit in illo. Ad hoc autem re ipsa exequendū divina gratia, per

JESU

JESU Christi passionem & merita, suppliciter erit imploranda. Oratione Dominica licebit concludere.

Hæc quidam illo disticho cõplectuntur :

*Redde Deo grates, pete lumen, discute mentem,  
Delicti veniam posce, recide malum.*

Deprehendi hac in re praxin per utrumque Belgium vulgatam, mihiq̃ à Patre Societatis Leodii communicatam, quâ Examen hoc ad quinque Christi Vulnera, totidem articulis distributum, aptè pièque instituitur; quam hoc breviter loco signare placuit, valdè ad devotionem profuturam. Quivis ex suo hunc, ante Crucifixum, affectu facilè, si velit, amplificabit.

*I. Ad vulnus manus dextræ, age gratias, hoc vel simili modo.*

O ter sancta, ter-adoranda Trinitas Pater, Fili, ac Spiritus S. Dominus meus ac Deus meus, gratias tibi ago, tẽque glorifico propter universa beneficia tua, humanitati JESU Christi, B. Virgini MARIÆ, universis Angelis, hominibus omnibus, & mihi singulariter per creationem,

tionem, redemptionem, & sanctificationem, &c. collata. O suavissime JESU, sanctissima Virgo, charissime Angele Custos, & Patroni omnes, vobis laus & grates æternæ sint, pro omni favore & gratia, usque ad præsentem horam mihi præstita.

*II. Ad vulnus manus sinistrae  
pete lumen.*

O mi Salvator, ac Deus meus, per merita sacratissimi hujus Vulneris, & Sanguinis indè fusi te precor suppliciter, ut gratiam mihi dare digneris ad cognoscendos omnes defectus meos, eosdemque efficaciter detestandos, & seriò corrigendos, quò gloria tibi per hos ablata restituatur, & reparetur ignominia tuo nomini illata, ô JESU sis mihi JESUS! ô lux vera mentem illumina!

*III. Ad vulnera pedis dexteri expende  
viam quâ ambula veris.*

O benignissime JESU, Salvator meus, Judex meus. En prostratus ante conspectum

spectum tuum , ego infelix peccator,  
 agnosco me errasse , in *N. N. dum surgo,*  
*Sacro intersum, laboro, convector, officium*  
*& munus negligo, commissione & omisso-*  
*ne, verbo, opere, &c.*

*IV. Ad vulnus pedis sinistri, dole te*  
*offendisse in via vite.*

O Salvator dulcissime, te humillimè,  
 projectus ante pedes tuos, cum Magda-  
 lena supplico , & per Sanguinem illum  
 pretiosum ex his plagis manantem obte-  
 stor, ignosce Jesu. O quàm confundor,  
 quod te sic offenderim Deum meum!  
 quàm doleo te læsam ô bonitas infinita!  
 atque utinam dolerem profundius ! de-  
 testor universa delicta mea, quia tibi di-  
 splicent, & summè eadem detestaris. O  
 mi Jesu, in apertas illas plagas tuas, &  
 abyssum divinæ miserationis tuæ me to-  
 tum projicio, ac per merita sacratissimæ  
 Passionis tuæ , veniam oro ac spero à di-  
 vina bonitate tua. Respice in me, ac mi-  
 serere mei.

D

V. Ad

V. *Ad vulnus lateris seu cordis, re-  
nuntia peccato, & emendatio-  
nem proponere.*

O amantissime Jesu, ab hac hora  
satisfaciam æquissimo desiderio cordis  
tui, pro mea salute in Cruce transfixi, &  
corrigam quidquid malè in vita deliqui.  
Nunquam, nunquam te offendam am-  
plius, nec in minimis quidem sciens vo-  
lensque, ô bonitas summè amanda  
confirma hoc propositum meum per  
merita Sanguinis, ex intimo cordis tui  
sinu pro me fusi: quæ tibi cum tota vita,  
passione ac morte tua, in satisfactionem  
offero. Fac, ô Deus meus, ut imposte-  
rum perfectè te amem & glorificem, id-  
que mecum præstent omnes homines &  
creaturæ Dei, per quas sis Deus benedi-  
ctus & glorificatus in sæcula.

*Observe. Quod si Crucifixus ante oculos, aut  
in manibus fuerit, per singula examinis puncta  
hunc amplecti, & exoculari certum vulnus se-  
mel, aut ter etiam in honorem SS.æ Trinitatis  
licebit, & nunc quasi fluentem ex plaga sangui-  
nem*

## DE CONFSSIONE GENER. 51

*nem cum Magdalena sub Cruce excipere: nunc  
te totum per easdem plagas in Christum trans-  
fundere (nam qui diligit me, in me manet, ait  
Christus, & ego in illo) nunc etiam cum eodem  
te Deo Patri in reconciliationem offerre, ita  
uberis ex hac pietate fructus colliges, & huc  
tuto te recipies in examine Dei supremo.*

## DE CONFSSIONE GENERALI.

**S**Uadet D. IGNATIUS generalem Con-  
fessionem à primis Exercitiorum diebus,  
qui ad viam purgativam spectant, instituen-  
dam. Quamvis enim illi, qui ritè antehac om-  
nia confessus est, necessaria non sit: Est tamen  
ad vitæ præteritæ emendationem, malitiæque  
graviorem detestationem, tum conscientiæ  
tranquillitatem, ob conceptum de peccatis,  
iteratùmque sæpius ac ferid dolorem, ac deni-  
que ob meritum gratiãque divinam amplifi-  
candam, & digniorem S. Eucharistiæ suscep-  
tionem, cum primis utilis, magnùmque in hora  
mortis, cum præteritæ vitæ delicta stimula-  
bunt conscientiam, solatium est allatura. Tria  
autem potissimùm circa legum observationem  
statuit esse expendenda, videlicet cogitata, ver-  
ba, & opera. Legem autem & communem ha-  
bemus, Decem præceptorum Dei, cui omnes  
adstringimur, & privatam quisque, ad status  
sui rationem pertinentem. Hanc quisque ex  
D 2 officio

*Confessio gen-  
erals ad  
emendationem  
vite  
perquam  
utilis.*

*Tria spectata  
cogitata,  
verba, &  
opera.*